



DEFENSIO PHYSICÆ
ARISTOTELICÆ

Contra

MICHAELEM WATSONIUM,

Decem Quæstionibus adornata.

Quæstio I.

An infidus Physicæ Aristotelicæ scriptor sit, qui alicubi sententiam Aristotelis non sequitur?

§. I.

ITa judicat Watsonius in *Synopsi Philosophiæ*, pag. 417. verbis in ipsa quæstione positus. Adeoque quamvis hactenus mihi ignotus [quemadmodum & ego quomodo ipsi innotuerim, & quidem pro tali, qui ejusmodi ludibriis dignus sit, scire non possum] non putans tamen sententiæ meæ contradicere se posse, nisi cognomen meum, futili subtilitate conspurcatum, erudito orbi deridendum propinaret. Ego verò memor dicti Apostolici, 1 *Petr.* 3. v. 9. omissis convitiis, rem ipsam aggrediar. Facit autem hoc Watsonius in loco, ubi minimè omnium competebat, videlicet in parte Anatomica, ubi Aristotelem sequi mihi non erat integrum, ideò; quia notum est, quæ ibi scripserit ex merâ conjectura non oculari inspectione [quippe qui confessus sit *hist. anim. lib. 1. cap. 16. interiores hominis partes incertas esse atq; incognitas*] ipsum scripserit, qua etsi sint qui judicent, propius ipsum alicubi ad veritatem collimasse; quàm plurimi sectionum experimentis: quia tamen ubique tam felicem fuisse incredibile mihi videbatur, imò ex quæstione tertia contrarium sit appariturum, de meo autem certius quid afferre non poteram [neque enim loca, in quibus ex sententia Meccænatum & Patronorum meorum versandum mihi studiosum meorum tempore erat, occasionem sufficientem hujus rei mihi supeditabant.] Itaque ne prorsus inanes dimittere viderer lectores

A 2

& au-